



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 31. An & qualiter Judex Ecclesiasticus procedere possit cumconcubinario ad excommunicationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

trina delinquant eum clerico contra decorem Ordinis ecclesiastici, subjiciantur jurisdictioni Judicis ecclesiastici; quia committunt quasi sacrilegium. Verum ratio communis est, quod, si plures simul delictum committant, omnes ab eodem Judice puniendi sint, ne continentia causæ dividatur. juxta *c. nulli de Judic. adeoque si clericus cum laico delinquat, uterque reus apud Judicem ecclesiasticum velut digniorem forum fortiat. Pirh. loc. cit. citans Menoch. de arb. cas. 371. à num. 12.* Item quod, cum correlativorum eadem sit ratio, & dispositio loquens de uno procedat etiam de altero, concubina, quæ habet causam communem cum concubinario clerico, estque correlativa ad illum, non secus ac ipse clericus per Judicem ecclesiasticum puniendâ. Barbof. *loc. cit.* quæ rationes evincere videntur, concubinas clericorum non tantum posse puniri à Judice ecclesiastico sed & ab eo solo puniri debere, ut id ipsum docent Abb. *in c. cum sit generale. de for. comp. num. 25.* Jafon. *in l. penult. ff. de jurisd. omni. Judic. num. 17.* & alii apud Barbof. *loc. cit.* Saltem ubi concubina excommunicata iterum cum clerico delinquit. Quin &, quidquid sit de aliis criminibus commissis à clerico cum laico, absolute à solo Judice ecclesiastico posse puniri concubinam clerici, cum communiore tenet Reiffenstuel. *h. t. num. 28.* His non obstante, quod solus laicus sit Judex competens concubinarum clerici peccantis cum laico, de quo vide me *ad lib. 2. quest. 158. n. 2.* Unde jam etiam admitrenda non est distinctio illa, quâ aliqui volunt, concubinas publicas à seculari Judice judicari posse, non verò occultas, ne clerici in foro seculari infamantur. Barbof. *loc. cit.* De cætero notat Pirh. *loc. cit.* cum Laym. *l. 4. tr. 9. c. 4. num. 10.* Hæc in praxi non observari, dum passim Judices seculares contra mulieres suspectas & concubinas delinquentes cum clericis procedere soleant.

Quæst. 31. An & qualiter Index ecclesiasticus procedere possit cum concubinariis ad excommunicationem?

Respond. ad primum: Possit Episcopum concubinarium tam laicum quam clericum excommunicare. constat ex Trident. *Sess. 24. c. 8. de reform.* ubi decernitur, possit Episcopum trina monitione præcedente ferre in concubinarium excommunicationis pœnam. item *Sess. 25. c. 14.* Et in specie, quod clerici in sacris constituti debeant excommunicari, etiam, dum de fornicatione cum famina suspecti post trinam monitionem inveniuntur cum eadem confabulari vel conversari, dicitur *c. 2. h. t.* Siquidem, si post trinam admonitionem inveniatur cum ea conversari, factus jam est concubinarium notorius præsumptione juris & de jure, quam jura habent pro veritate, & sic potest excommunicari. Host. *in sum. h. t. num. 4.* Sic statuitur *c. clericos. h. t.* Quod si clerici in sacris constituti ad concubinas redire, vel alias assumere præsumperint, in aliquos eorum perpetua (hoc est, donec respiscant) excommunicationis sententia sit proferenda. Quod etiam ipsa concubina debeat excommunicari, ait Gloss. *in cit. c. 2. h. t. v. canonicè.*

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. III.

2. Resp. ad secundum: Tametsi ad alias pœnas sine trina, imò sine omni monitione procedere possit Episcopus, ad censuras tamen, ut nominatim ad excommunicationem cum concubinariis notoriis procedere nequit, nisi prævia trina monitione. Delb. *p. 1. c. 10. d. 1. s. 1. num. 29.* & *in indice part. 2. v. concubina.* Barbof. *in c. 2. h. t. num. 2.* constat ex Trid. *Sess. 24. c. 8.* & ex *cit. c. h. t.* Servanda hæc solennitas trinæ monitionis tanquam forma necessaria. Delb. *loc. cit. num. 26.* Item ad excommunicationem devenire non debet, nisi tandem post frustra adhibita alia remedia & punitiones. Arg. ejusdem Trid. *l. c.* dum ibi ordo pœnarum successive infligendarum refertur, & ultimo loco ponitur excommunicatio. Abb. *in c. clericos. h. t. n. 3.* Pirh. *n. 11.*

Quæst. 32. An & qualiter concubinariis incurrant suspensionem?

Resp. primò: Tametsi clericus concubinarium ipso facto sit suspensus à divinis suspensione quò ad le non secus, ac alius quilibet in peccato mortali existens, ut celebrando Missam & Sacramenta ministrando peccet mortaliter. *c. ult. h. t.* Barbof. *ibidem num. 5.* Et hanc non esse suspensionem propriè vel ex eo inferitur, quod talis clericus post peractam pœnitentiam recuperet. statim in continente executionem seu administrationem sui officii absque prævia absolutione; quod dici nequit; si talis suspensio foret censura. Non tamen concubinarium, etiam publicus & notorius, ipso jure suspensus est à divinis, Ordine, officio, beneficio suspensione propriè dicta, seu qua durante, celebrans aut ministrans, aut beneficium suum ministrans incurrit irregularitatem; quia hæc pœna suspensionis ipso facto à concubinariis incurrenda nullibi in jure expressa, ut constat ex Canonibus, quibus ea intentatur, dum ii, uti & Trid. dicant: *suspendatur, vel debent suspendi*: quæ tantum suspensionem sententiæ ferendæ, & non latæ significant. Quamvis tamen secus sit de Episcopis, utpote de quibus ait Trid. *l. c. si ab hujusmodi crimine non abstinuerint, & à Synodo provinciali admoniti se non emendaverint, ipso facto sint suspensi &c.* Ad hæc irregularitas non inducitur nisi in casibus in jure expressis juxta *c. is qui de sent. excomm. in 6.* Et sic tenent Innoc. *in c. si celebret. de cler. excomm. minist. num. 3.* Jo. And. *ibidem num. 4.* Covar. *Clem. furiosus. p. 1. §. 1. num. 5. de homicid.* Garc. *de benef. p. 7. c. 14. num. 19.* Barbof. *l. c. n. 4.* citans Fagund. *in præcep. Eccl. præc. 1. l. 2. c. 5. num. 48.* & alios. Pirh. *h. t. n. 18.* Reiffenstuel. *num. 41.* Wiestner. *n. 131.* ego *for. benef. p. 3. qu. 216. n. 3.* contra Abb. *in c. vestra. h. t. n. 7.* Sylv. *v. concubinarium. num. 4.* Bellet. *disq. cler. p. 1. §. 5. de discipl. cler. n. 1.* Farin. *de delict. Carn. q. 133. à n. 55.* Clar. *l. 5. §. fin. q. 73. n. 3.* Azor. *p. 1. l. 6. c. 7. q. 5.* & alios citatos. à Garc. *n. 8.*

2. Resp. secundò: Sed neque suspensio à beneficiis, quæ incurrenda statuitur *in c. sicut. h. t.* Clericis in sacris constitutis, si moniti concubinas à se non removeant, easdem non resumpturi, extenditurque etiam ad clericos constitutos in minoribus. Arg. *c. si autem h. t.* ut Gl. *ibid. v. spoliare.* Barbof. *ibidem num. 1.* Pirh. *h. t. num. 7.* Item, quâ à Trid. *l. c.* jubentur suspendi à beneficiorum administratione quicumque clerici, qui secundæ monitioni